QUOMODO ORDINANDA SINT VENETIIS OFFICIA SANCTORUM VETERIS TESTAMENTI.

MAterna sollicitudine Sancta Dei Ecclesia æternæ Filiorum suorum saluti prospiciens, quæcumque ad animarum utilitatem censuit esse opportuna, ea omnia diligenti studio ordinavit. Quum autem optime nosset, spirituales etiam hominum actiones ex sensuum perceptione, ut plurimum, pendere, ideo multiplici solemnitatum genere, vario rituum Ordine, & diversa Officiorum dispositione Fidelium mentes ad devotionis affectum excitare, & corda ad Divini obsequii fervorem accendere nullo tempore destitit. Cultum quoque Sanctorum in diversas quodamodo classes dividi voluit, ut unusquisque eorum pro respectiva sui status conditione variatas precum, laudum, & colorum assignationes obtineret. Quia vero ii, qui in universali Ecclesia Officio & Missa coluntur Sancti, sive sub gratia novi Testamenti, nati & mortui sint, sive sub Testamento veteri orti sub novo decesserint, ut sunt Sanctus

Stephanus Protomartyr Sancti Apostoli, aliique, sive denique sub finem veteris Testamenti ortum, & dormitionem acceperint, iique sunt Sancti Innocentes Martyres, Sancti Joachim & Anna Deiparæ Parentes, Sanctus Joseph ejusdem Deiparæ Sponsus & Sanctus Joannes Baptista Salvatoris Præcursor, ii omnes (si unicam excipias Sanctorum Martyrum Machabæorum commemorationem) ad novum Testamentum pertinent, ideo in Liturgiæ, & Sacrorum Officiorum ordinatione (seu ut vulgo vocant, in Missali & Breviario) solæ Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, & non Virginum classes exponuntur, eadem scilicet de causa, quia de ipsis nullum universaliter celebratur Officium.

Nec tamen à Divini Officii honore excluduntur Sancti Veteris Testamenti, siquidem cum plurimi eorum in Romano Martyrologio enuntientur, & aliqui etiam ex ipsis in Litaniis & precibus pro agonizantibus invocentur, possunt æque ac alii ex novo Testamento Sancti solemniter recitatione Officii, & celebratione Missæ coli, quinimmo aliquando id honoris necessario, & ex jure exigunt, si, exempli gratia, Titulares sint Ecclesiarum, seu si aliqua insignis eorum Reliquia alicubi asservetur. His positis, si bene paritas attendatur, æquum videri potest, ut Sancti

ex

ex veteri Teſtamento in locis, ubi coluntur, aliqua peculiari Officii parte, quantum fieri licet, decorentur; Lectiones ſaltem de ipſis tractantes, ſi in Breviario Romano appoſitæ adſint, aſſumendo, cum ſuis Reſponſoriis ſi de ipſis pariter agant; Hoc ordinandi Officii genus, quod ab aliquibus etiam latius extenditur, à multis optima ratione laudatur, quia congruum eſſe dicunt, & utile, ut Sancti de quibus Officium agitur, approbatas Lectiones habeant, in quibus aliquid ex eorum geſtis legatur, & Fidelibus ad ædificationem proponatur. Hac profecto de cauſa Propheticam dignitatem attendens ſacer Carmelitarum tam antiquæ obſervantiæ, quam excalceatorum Ordo, qui Sanctos Eliam, & Eliſeum ſui inſtituti parentes habere gloriantur, Officia ipſorum ex Apoſtolica conceſſione cum Lectionibus, Hymnis, Capitulis, Reſponſoriis & Antiphonis propriis recitat, nihilque ex locis Breviarii, quæ de Communi dicuntur, aſſumit. Quia itaque in nulla Chriſtiani Orbis Civitate tantæ adſunt Sanctorum veteris Teſtamenti Eccleſiæ, quantæ in urbe Venetiarum erectæ viſuntur, ea propter honorem debitum ipſis aſſignare cupiens is, qui noviſſime ad diſponendum celebrandæ Miſſæ, & recitandi Officii Directorium, (quod Calendarium vocant) ex Patriarchali deſtinatione præeſt (explorato ta-

men prius, acceptoque virorum in rebus Liturgicis peritorum consilio, qui omnes rem congruam, probatam, permissamque esse judicarunt) Officia Sanctorum veteris Testamenti, de quibus Venetiis propter antiquissimam consuetudinem, Apostolicæ etiam Sedis authoritate confirmatam, sub ritu semiduplici (quia Titulares sunt Ecclesiarum) ab universo Clero Festum celebratur, ita nunc ordinavit, quemadmodum probatissimi in re Liturgica scriptores ex validis rationibus, & congruentiis disponenda esse judicaverunt. Authorum autem de hac re scribentium asserta nunc breviter, quantum fas est, exponantur.

Bartholomæus Gavantus ex Clericorum Regularium Sancti Pauli, quos Barnabitas vocant, familia, Sacræ Rituum Congregationis Consultor, & ob summam in Liturgicis rebus, quas eximie illustravit, peritiam in Bullario Benedicti Papæ XIV. Tom. IV. cost. XI. parag. 26. pag. 148. clara laude ornatus de Sanctis Veteris Testamenti, & de ipsorum ordinando Officio agens, ita scribit in libro, cui titulus: Thesaurus Sacrorum Rituum Tom. II. sect. V. cap. XII. num. 22. „ Interrogatus „ quandoque fui, quænam lectiones legi „ possunt in festis S. Abrahæ, & S. „ Job, quæ alicubi celebrantur. An le„ ges primas Lectiones haustas ex Ge„ nesi, & ex Historia Job, quæ vide-

„ licet habentur in Dominica Quin-
„ quagesimæ, & prima Dominica Se-
„ ptembris : in secundo Nocturno, quæ
„ ibidem habentur in eorum commen-
„ dationem, & laudem, in tertio No-
„ cturno Evangelium : Homo quidam
„ nobilis, cum Homilia S. Ambrosii in
„ nostro Octavario Romano, seu in Festo
„ S. Ludovici Regis; vel in primo
„ Nocturno: Lectiones de Scriptura oc-
„ currente, in secundo Nocturno; quæ
„ habentur in secundo Nocturno Do-
„ minicæ Quinquagesimæ, & Dominicæ
„ primæ Septembris, sicuti pro Histo-
„ ria Sanctæ Agnetis legitur Sermo S.
„ Ambrosii in laudem ejusdem. In ter-
„ tio ut supra Posterior hic modus mihi
„ magis placet conformior aliis Sancto-
„ rum festis. Quæ vero dicimus de
„ Sanctis Abraham & Job, valent etiam
„ in Festis Sanctorum Isaiæ, Jeremiæ,
„ Danielis, & similium, ubi eorum
„ Festa celebrantur, propriis è Brevia-
„ rio adhibitis eorum Lectionibus.

Observationes autem, & additiones ad Gavanti commentarium faciens Cajetanus Maria Merati Clericus Regularis, & Sacræ Rituum Congregationis Consultor nihil sententiæ Gavanti addit, vel detrahit, ostendens hoc suo silentio se ipsius opinioni assentire.

Gavantus itaque in ordinandis Sanctorum veteris Testamenti Officiis nos docet, Lectiones secundi, & tertii No-

ĉturni fummendas effe ex Breviario, ubi eorum gefta & laudes enuntiantur, exceptis fcilicet Lectionibus primi Nocturni, quas de Scriptura occurrente legendas afferit, huncque modum fibi magis placere teftatur, quia conformiorem dicit aliis Sanctorum Feftis. Si tamen attentius res confideretur, primum ordinandi Officii modum conformiorem effe aliis Sanctorum Feftis agnofcimus; Breviarium enim Romanum Lectiones de Scriptura occurente attribuit iis Sanctis, qui ritu duplici minori, vel femiduplici decorati, nullam ex Sacris Scripturis lectionem haurire poffunt, quæ ipfos nominet, vel ad eos ftricte pertineat. Sed fi aliqua Lectio ex Scriptura inveniri poffit ad eos ftricte, vel etiam minus ftricte pertinens, ea utitur Breviarium Romanum, ut videre eft in Fefto Inventionis Sancti Stephani Protomartyris, & in Fefto Impreffionis Sacrorum Stigmatum in corpore Sancti Francifci, quamvis ea fint Fefta fecundaria, & fub ritu femiduplici ordinata. Quin etiam levioribus de caufis lectiones proprias aptat aliis Sanctis Breviarium Romanum, omiffis Lectionibus de Scriptura occurrente, ut Legitur in Feftis multorum ex Sanctis Ecclefiæ Doctoribus, itemque in Feftis S. Agnetis, S. Agathæ, SS. Joannis & Pauli, S. Elifabeth Reginæ Portugalliæ, S. Mariæ Magdalenæ, S. Raymundi

Non-

Nonnati, S. Francisci, S. Martini, S. Ceciliæ, S. Clementis, S. Luciæ, qui omnes Sancti Officio celebrantur vel duplici minori, vel semiduplici.

Gavanto adhæret ex integro Bernardus Bissius Januensis Monachus Sancti Benedicti Congregationis Cassinensis in libro, qui inscribitur: Hierurgia, sive Rei divinæ Peractio Januæ edito anno 1686. Tom. I. pag. 582. §. XIII. ubi ait: „ Hic est locus quærendi, quænam „ lectiones dicendæ sint in officio ex. „ g. de S. Abraham de S. Job &c. In „ quo Gavantus sect. 5. cap. 12. num. „ 22. laudat, quod in primo Nocturno „ legantur Lectiones de scriptura oc„ currente, pro secundo summantur ex „ secundo Nocturno Dominicæ Quin„ quagesimæ, si fiat de S. Abramo, si „ vero fiat de S. Job summantur ex „ secundo Nocturno Dominicæ primæ „ Septembris, quæ his festis valde qua„ drant, pro tertio autem Nocturno „ dicatur Homilia de Evangelio: Homo „ quidam nobilis &c. ut in Festo S. „ Ludovici, & ita proportionaliter de „ aliis discurrendum.

Eamdem prorsus sententiam tenet Joannes Baptista Halden S. I. Germanus in libro, cui titulum posuit: Ephemerologium Ecclesiastico-Rubricisticum Par.III. tit. II. pag. 33. ubi etiam firmat, Lectiones primi Nocturni sumendas esse ex Breviario Romano, ubi agit de iis

Sanctis veteris Testamenti de quibus fit officium, ita enim scribit : „ In Festis
„ S. Abrahæ & S. Jobi (quæ teste Ar-
„ naudo Tom. II. Par. I. tit. 19., & Gav.
„ alicubi cum facultate Majorum cele-
„ brantur) legi possunt in Officio le-
„ ctiones haustæ ex Genesi, & Historia
„ Jobi, quæ videlicet habentur in Do-
„ minica in Quinquagesima prò S. A-
„ braham, & in Dominica I. Septem-
„ bris prò S. Job. In 2. autem noct.
„ quæ ibidem habentur in 2. Nocturno
„ Dominicarum dictarum in eorum com-
„ mendationem in 3. Nocturno : Homo
„ quidam nobilis : cum Homilia, quæ
„ habetur in Festo S. Ludovici Reg. Vel
„ in I. Nocturn. Lectio de Scriptur.
„ occur. reliqua ut supra. Idem servari
„ potest in Festis SS. Isaiæ, Jeremiæ,
„ Danielis, Davidis, & similium, ubi
„ celebrantur, propriis è Breviario ad-
„ hibitis eorum Lectionibus : habes le-
„ ctiones prò S. Davide in Dominica
„ 6. post Pentec. de Apologia illius ex
„ libro S. Ambrosii; Arnaud. loco citato,
„ Gav. Tom. 2. sect. 5. cap. 12. num. 22.

Quum autem usque modo allati scriptores Gavanti opinionem plurimum probent, novissime Benedictus Papa XIV. in egregio suo opere: De Servorum Dei Beatificatione, & Beatorum Canonizatione Tom. IV. lib. IV. par. II. cap. XXIX. Gavanti superius allatum textum ex integro refert, ipsumque

que quasi regulam ordinandi Officii ostendens, nihil præterea ex suo addit, quapropter doctissimi in rebus Liturgicis, & ab ipso Pontifice multum probati viri sententiam firmare suo assensu videtur, siquidem eruditissimus Pontifex, si absurdum aliquod in ea opinione reperisset, ipsam libere, & aperte rejecisset, ut multis in locis optime egit, ubi sententias & opiniones virorum, quas sibi minus placere asserit, verissimis validisque rationibus rejicit, & confutat.

Modo huic ordinandi Sanctorum veteris Testamenti officia; quem Gavantus approbat, plura addidit Carolus Guijetus S. I. in libro, cui titulus: Heortologia sive de Festis Locorum & Ecclesiarum anno 1728. Urbini (quæ Civitas est principalis in ditione Ecclesiastica) typis vulgato: Libro enim I. cap. V. quæst. VIII. de Sanctis veteris Testamenti agens Ecclesias enuntiat ipsis Sanctis in Christiano Orbe dicatas, deque ipsis Sanctis iterum differit Lib. II. cap. VII. quæst. 2. & 3. & demum Lib. III. cap. XVI. quæst. 4. de ipsorum ordinando Officio, ita scribit.

„ Quodnam est Commune Sanctorum „ veteris Testamenri. Reperi in Cære„ moniali Fontis-Ebraldi MS. anno „ 1461. authoritate Guillelmi Parisien„ sis Episcopi delegati à Pio II. ad vi„ sitandum, corrigendum, & reforman-

 „ dum

„ dum dictum Monasterium , & Ordi-
„ nem Fontis-Ebraldi Officium sub ti-
„ tulo Patriarcharum, quod tamen ve-
„ re est solius Abrahæ ex Genesis libro
„ depromptum. Sunt & in Carmelitano
„ Officia propria Sanctorum Eliæ , &
„ Elisei Prophetarum , & hæ quidem
„ duo legitima, sine usu , sive certa &
„ constanti approbatione. At ubi desunt
„ hujusmodi , vel quibus non sunt con-
„ cessa , quo recurrendum? Ad Commu-
„ ne sive unius Martyris si tulis sit , de
„ quosit Festum , sive plurimorum, si plu-
„ res fuerint , ut Machabæi , sive deni-
„ que Confessoris non Pontificis , salvis
„ ijs , quæ aliunde in Breviario ipso de-
„ summi possunt , qualia sunt hæc.

„ Pro S. Abraham Patriarcha: Anti-
„ phona. Pater fidei nostræ , Lectiones 1.
„ & 2. Nocturni & Responsoria quinque
„ priora Dominicæ Quinquagesimæ ,
„ pro sexto vero octavum , & pro septi-
„ mo & octavo primum & secundum
„ Feria 2. sequentis. Oratio denique ex
„ Missali. Deus qui in Abrahæ.

„ Pro S. Moyse: Lectiones 1. Nocturni
„ Dominicæ quartæ Quadragesimæ cum
„ Responsorijs septem prioribus , & Oratio
„ ex Missali : Deus qui per Sanctum
„ Moysem &c.

„ Pro S. Davide Antiphona. Præva-
„ luit David : Lectiones 1. & 2. Noctur-
„ ni Dominicæ quartæ post Pentecosten
„ cum hisce Responsoris 2. 3. 4. 6. 7.
„ &

„ & 1. Feriæ 2. Item si lubet Homilia
„ in Evangelium Dominicæ XVII. post
„ Pentecostes; in quo honorifica Davi-
„ dis fit mentio.

„ Pro S. Job. Antiphona. Cum au-
„ disset Job. Lectiones 1. & 2. Nocturni
„ cum responsoris omnibus Dominicæ 1.
„ Septembris, & pro octavo primum
„ Feriæ 2.

„ Itidem de Sanctis Ezechiele, Da-
„ niele, & aliis. Quod vero prædicta
„ omnia in hunc modum aliunde mu-
„ tuari possint, adstipulatorem habemus
„ Gavantum sect. V. cap. XII. nu. 22.,
„ qui licet de Lectionibus tantum lo-
„ quatur, valet tamen æque pro aliis
„ ejus responsio, confirmaturque ex di-
„ ctis supra cap. 3. quæst. 1., siquidem
„ sunt illa omnia non tantum approba-
„ ta, utpote Canonica, sed etiam ab
„ Ecclesia ipsa sub eadem forma usita-
„ ta."

Supra autem cap. 3. quæst. 1. ab eo citatis asserit, & probat in Festis Sanctorum Abrahæ, Job, Isajæ, Jeremiæ, Danielis, aliorumque veteris Testamenti, si quando alicubi ea celebrari contingat; legi posse testus illius Scripturæ, in quibus eorum gesta recitantur, probante id Gavanto locis citatis.

Quum autem optimis rationibus opinionem suam fulciat Guyetus, ubi de Lectionibus etiam primi Nocturni agit, æque etiam bene sententiam suam de as-

signandis responsoris ex paritate sustinet, neque dicendum contra est, quod responsoria propria tribuantur solum iis Sanctis, qui Antiphonas etiam saltem ad Psalmos Laudum habent pariter proprias, contrarium enim evincitur exemplo sumpto ex ipso Breviario Romano, Sancta enim Maria Magdalena, cui ad Psalmos Laudum nullæ assignantur Antiphonæ propriæ, sed solum ex Commune non Virginum, tamen ad primum nocturnum propria habet Responsoria.

Ne autem vitio quis vertat, quod ad firmandum Gavanti sententiam soli afferuntur auctores ipsam adoptantes, vel etiam dilatantes, afferenda sunt etiam verba doctissimi viri Joannis Michaelis Cavalieri ex Sancti Augustini Ordine, uti leguntur in ejus Commentariis Liturgicis Tom. II. Par. I. cap. XXXI. n. III. ubi differit de Sanctis veteris Testamenti. „ De iisdem in Ecclesiis, qua„ rum sunt Titulares, aut in quibus eo„ rumdem asservantur Reliquiæ insignes „ statim posse Officium juxta Rubricas, „ & decreta fieri: absoluta hæc nam„ que, & absque ulla limitatione de Ti„ tularibus, & de Reliquiis officium in„ dicunt. At unde depromendum erit „ officium. Elaborat admodum Guijetus „ lib. 3. cap. 16. qu. 4. & 5. in assignan„ dis plurimis, quæ ex Breviario de„ prompta usitari queunt, eique assen„ titur Gavantus sect. 5. cap. 12. num.

„ 22.

„ 11. , at consultius est recurrere ad „ respectivum Commune, neglectis ijs, „ quæ aliunde mutuari possent. " Unicus itaque de omnibus (quos adhuc viderim) scriptoribus, qui de ordinando Sanctorum veteris Testamenti officio disseruerunt, est Cavalierius, qui Gavanti &. Guijeti sententiam non quidem improbat, aut reijcit, sed consultius esse asserit, recurrere ad respectivum Commune; quamvis nullam postea afferat hujus cautionis rationem, aut argumentum. Verum Gavantus in ea, quam statuit. Sanctorum veteris Fœderis ordinatione Officiorum, sectatores habet eos multos, quos supra enuntiavimus probatissimos rerum Liturgicarum auctores, ipsumque Summum Pontificem Benedictum XIV., qui ut conspicuum est, sententiam Gavanti afferens ipsam adoptavit, ipsiusque proinde authoritati tam dignitatis, quam doctrinæ ratione plurimum deferre debemus.

Citatam itaque laudatamque Gavanti, & aliorum ei adhærentium opinionem jure amplexati sunt nonnulli ex peritis Calendariorum concinnatoribus; in Calendario enim ad usum Fratrum Ordinis Minorum Conventualium pro Choro Magnæ Domus Venetiarum, ubi Festum agitur Sancti Danielis Prophetæ ratione insignis Reliquiæ ibidem asservatæ, sic notatur ad diem XI. Augusti, quæ est dies assignata pro die XXI. Julii

lii natalitia quidem S. Danielis, sed impedita propter Ottavam S. Bonaventuræ.

„ Danielis Prophetæ Conf. duplex.
„ Lect. 1. & 2. Nocturni ut in Do-
„ minica 3. Novembris. Lect. vero
„ 3. Noctur. ut in Dom. 24. post Pen-
„ tec. (quæ Homilia valde congruit
„ Prophetæ Danieli.) Omnia Resp. de
„ Comm. Conf. non Pontif.

Ecce quomodo vir eruditus, & diligens non solum ordinat Officium juxta Gavanti, aliorum dispositionem, sed etiam opportune ad casum nostrum notat, assignatam Homiliam valde congruere Prophetæ Danieli.

Eodem omnino modo ipsius Danielis Prophetæ Officium ordinant Archiepiscopalis Ecclesia Utinensis, atque episcopales pariter Concordiensis & Polensis in Ditione Veneta, nec non Januensis, Goritiensis,& Tergestina,quæ omnes summunt Nocturnorum Lectiones ex Dom. 3. Novemb., & ex Dom. 24. post. Pentec. in Missa etiam ponentes Epistolam ex Feria tertia post Dominicam Passionis assumptam, ex eadem prorsus ratione, quia Prophetæ Danieli valde congruit.

Aliud ejusdem argumenti exemplum offert nobis directorium Archiepiscopalis Ecclesiæ Jaderensis, quæ ad diem XXVII. Augusti officium enuntians Sancti Eliæ Prophetæ illud tali modo ordinat.

„ S. Eliæ Prophetæ Conf. dup. in 1.
Noct.

„ Noct. de Fer. in 2. Noct. ex Domin.
„ 9. post. Pentec. in lectionibus , in 3.
„ Noct. ex 25. currentis. Homo quidam
„ nobilis . Missa Justus .. Or. Adesto
„ Epist. 2. Aprilis .

Hoc ipsum pariter legitur in Directorio Ecclesiæ Episcopalis Sibinicensis . Notandum hoc loco venit , quod quamvis Sanctus Elias Propheta integram Officii seriem habeat , quod officium Carmeliticæ Familiæ recitandum concessit Sedis Apostolicæ authoritas, attamen Ecclesia Jadrensis , quæ hoc privilegio non gaudet , officium Sancti Prophetæ sibi disposuit juxta Gavanti sententiam.

Hæc tamen Officij dispositio , quæ composita videtur juxta rigidiorem Gavanti sententiam, si ad magis propitiam Guijeti & aliquorum sententiam deducenda esset, poterit hoc modo ordinari: S. Eliæ Prophetæ C. dup. In 1. Vesp. ad Magnificat Dum tolleret Dominus, ut in Sabb. ante Dominic. IX. post Pentec. In 1. Noct. Lectiones ex Fer. 2. post Domin. IX. post Pentec. in 2. Noct. Sermo S. Augustini ex Domin. IX. post Pent. in 3. Noct. Evang. & Homilia ex Festo Transfigurat . Dom., quod Evangelium valde congruit Prophetæ Eliæ.

Ex rerum allatarum paritate recte deducitur, quod Ecclesia Veneta uti quidem non potest Officio integre proprio Sancti Danielis Prophetæ olim die 9. Octobris anni 1609. Monialibus Sancti

Da-

Danielis Venetiarum a Sacra Rituum Congregatione indulto, attamen Officium ipsius Prophetæ, quod a Clero Civitatis sub ritu semiduplici, eo quia est Titularis Ecclesiæ, celebratur, ita disponendum erit, ut nos docuerunt supracitati eruditissimi in re Liturgica Scriptores.

Adhærendo itaque doctrinæ tot virorum illustrium, qui de sacris ritibus laudatissime disseruerunt, inter quos eminent Gavantus & Guijetus a Benedicto Papa XIV. in suis operibus sæpe citati & laudati, & sequentes etiam exempla superius allata, conveniens est, ut in directorio Ecclesiæ Venetæ, quæ (ut supra dictum est) inter omnes Catholici Orbis civitates majorem habet numerum Templorum ad honorem Prophetarum antiquitus erectorum ipsorum Officia hoc modo ordinentur.

Pro S. Job. ad Magnificat, & Benedictus Antiph. Cum audisset Job. ut in Sabbato ante Dominicam 1. Septembris Lectiones in 1. & 2. Nocturno & Responsoria pariter ex eadem Dominica: in 3. Nocturno Evangelium. Homo quidam nobilis ut in Festo S. Ludovici Regis 25. Augusti; responsorium 7. ex Dom. 1. Septembris, & 8. ex Feria 2. sequenti Versa est in luctum.

Pro S. Hieremia Lectiones 1. Nocturni ex Dominica Passionis, Lectiones vero 2. Noct. ex Communi unius Martyris 2. loco Lectiones 3. Noct. scilicet Evang.

& Ho-

& Homilia ex die Octava S. Stephani 2. Januarij, reliqua de Communi unius Martyris secundo loco.

Pro S. Daniele Lectiones 1. & 2. Nocturni ex Dominica tertia Novembris; Lectiones 3. Noct. ex Domin. 24. post Pent. reliqua de Comm. Conf. non Pont. 1. loco.

Pro S. Samuele Antip. ad Magnificat: Puer Samuel ministrabat ut in Vesp. Sabbati intra Oct. Corporis Christi, Lectiones 1. & 2. Noct. ex Dom. 3. post Pentec. In 3. Noct. Evangelium, Homo quidam nobilis, ut in festo S. Ludovici Regis 25. Augusti Ant. ad Bened. & ad Mag. in 2. Vesp. Cognoverunt a Dan., ut in Vesp. Sabbati post Oct. Corporis Christi. Responsoria & reliqua de Comm. Conf. non Pont. 2. loco.

Pro S. Moyse In 1. & 2. Noct. Lectiones & Responsoria ut in Dom. quarta Quadragesimæ. In 3. Noct. Evangelium & Homilia de die Transfigurationis domini septimum Resp. Splendida facta est ut in Dom. 4. Quadrag. Oct. Resp. Si ministratio mortis: quod est 6. resp. in Officio Transfigurat. reliqua de Comm. Conf. non Pontif. secundo loco.

Et hæc quidem pro Sanctis veteris Testamenti ordinanda ex jure videntur, sed cum Venetiis Ecclesiastico Officio celebrentur aliis Sancti sub veteri quidem Testamento defuncti, sed ad novum Testamentum ex peculiaribus circum-

stan-

ſtantiis ſpectantes, ſcilicet Sanctus Zacharias Pater Sanctiſſimi Præcurſoris, & Sanctus Simeon Juſtus ſenex; qui Venetiis Eccleſias habent, eorumque corpora in iiſdem requieſcunt Eccleſiis; ideo ad eos quoque, & quidem potiori jure ſpettant omnia ea, quæ uſque adhuc de Sanctis veteris Fœderis dicta ſunt, ut clare docent ſupracitati rerum Liturgicarum illuſtratores. Quum autem ex antiquo Sacræ Rituum Congregationis indulto Moniales Sancti Zachariæ Officio ejuſdem Sancti fruantur integre proprio, & noviſſime Clero Veneto conceſſum ſit Officium proprium Sancti Prophetæ Zachariæ, ſupereſt, ut attente conſiderentur directoria aliquarum Civitatum; (non enim omnia habere licuit) in quibus Feſtum agitur de Sancto Simeone Juſto Sene, qui ſolus ex Sanctis veteris Teſtamenti pertinentibus ad novum, & in Urbe Venetiarum Eccleſiam poſſidentibus Officium proprium non habet, quapropter æquum, & conveniens eſſe videtur, ut ea quæ ſibi convenire agnoſcuntur, ex Romano Breviario aſſumantur.

Directorium Officij Eccleſiæ Jadrenſis; quæ bis in anno Feſtum celebrat Sancti Simeonis Juſti Senis, officium ipſius ita diſponit die IV. Februaris.

„ S. Simeonis Juſti Senis dup. in 1.
„ Noct. de Feria in 2. & 3. de die Pu-
„ rificationis cum Homilia Ecce homo,
„ Reſ-

„ Reſponſ. 1. & 2. Noct. de 2. & 3. Pu-
„ rificat. Reſp. 6. 7. & 8. de Comm.
„ Conf. non Pontif. Oratio Adeſto.

Die autem VIII. Octobris Feſtum ſolemnius celebrans S. Simeonis Juſti ſic Officium ordinat.

„ S. Simeonis Juſti Prophetæ dup. in
„ 1. Noct. Juſtus ex Comm. Conf. non
„ Pont. cætera ut 4. Februarij.

Eccleſiæ quoque Pharentis, Veglenſis, Sibinicenſis, & aliæ Feſtum celebrantes S. Simeonis Juſti Lectiones eidem congruentes, aſſumunt ex die ſecunda Februarij in qua ſolemnitas agitur Purificationis.

Doctrinam itaque ſcriptorum, & exempla Eccleſiarum tenentes duplici modo ordinare poſſumus Sancti Simeonis Juſti Senis Officium, ſcilicet, vel; ut agit Eccleſia Jadrenſis cum Lectionibus & Reſponſorijs tantum, vel etiam latius cum antiphonis quoque ad eum pertinentibus, aſſumptis ex ſolemni Purificationis Officio in hunc modum.

Ad 1. Veſperas Ant. de Laud. Pſalmi, Capitulum, & Hymnus de Comm. Conf. non Pontif. Verſic. Reſponſum accepit: & Antiphona ad Magn. Senex puerum portabat. Oratio Deus qui nos ex Comm. Ad Matur. in 1. Noct. Lect. Juſtus ſi morte, in 2. & tertio Noct. ex die Purific. Reſponſoria quinque priora ex ſecundo & 3. Noct. Purific. 6. 7. & 8. de Comm. Conf. non Pontif. Ad Laudes Ant. Pſalmorum ut in Feſto Purific.

Si-

Simeon juſtus & timoratus & loco ultimæ Serve bone & fidelis intra in gaudium Domini tui . Antiph. ad Benedictus; Cum inducerent. In 2. Veſp. omnia ut in primis.

Superius itaque ordinata Officia nihil continent ad proprium Sanctorum pertinens ex arbitrio confectum , ſed cuncta ſunt ex Breviario Romano deprompta ; quapropter neque ex arbitrio prodeunt, neque privilegio opus habent , cum ex jure; procedant, atque rationibus , doctrinis & exemplis fulciantur.

Objiciet fortaſſe quiſpiam: non poſſe inveteratam pſallendi conſuetudinem mutari inconſulta Sede Apoſtolica. Ad hoc reſpondendum, id quidem verum eſſe, ſi agatur de rebus noviter inſtitutis , aut quæ ex aliquo peculiari privilegio dependent, ſecus autem eſt in iis conſuetudinibus , quæ juri Eccleſiarum , & rebus jam univerſaliter permiſſis obſtant , ſemper enim fas eſt , rem', ſeu conſuetudinem aliquam , vel errantem corrigere , vel etiam in melius cum modis permiſſis mutare , præſertim ſi res tendat ad augendum Sanctorum cultum , de quo promovendo & augendo ſemper ſtuduit Catholica Eccleſia . Exemplum pono in aliqua peculiari Eccleſia, quæ ſolita ſit celebrare Officium ſuæ Dedicationis vel Titularis ſine Octava , numquid negari poteſt Rectori , qui rem animadvertit , ne inveteratam pſallendi con-

conſuetudinem mutet, & Octavam ex jure permiſſam ſui Titularis vel dedicationis inſtituat. Similiter ſi aliqua Eccleſia Epiſcopalis Patronum minus principalem Officio duplici minori ſoleat celebrare, quotieſcumque errorem agnoſcat, poteſt officium ipſius Patroni ad ritum altiorem duplicis majoris evehere. Veritatis hujus exemplum habuimus anno 1763. die 3. Martii in uno decreto Venetiarum Sacræ Rituum Congregationis, quæ concedendo Sanctæ Marinæ Virgini Officium proprium pro Dominio Veneto, quamvis ſciret in Veneta Civitate Officio ſolum duplici minori coli, ipſam ad altiorem duplicis ſecundæ claſſis ritum extulit, non ex privilegio conceſſo, ſed ex jure competenti. Similiter Illuſtr. & Reverend. Patriarcha noſter Venetiarum, ſtatim ac exploratum habuit, quod Sanctus Venerius Eremita in Martyrologio Romano deſcriptus corpore ſuo decorat Eccleſiam Sanctæ Agnetis Venetiarum, ipſi, ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ Patriarchalis, quæ Sanctos habentes corpus in aliqua Venetiarum Eccleſia Officio ſemiduplici colit, locum in Veneto Calendario conceſſit die XIII. Septembris. Multa quidem tam in Civitate Veneta, quam in aliis exempla poſſent afferri ad ampliorem rei probationem, quæ brevitatis cauſa omitti debent.

Quod ſi quis ſtans pro opinione ne-

gativa

gativa urgeat asserens, ipsos jam citatos auctores in statuendis hujusmodi Officiis admodum discrepare, unus enim Lectiones tantum, alius Lectiones, & Responsoria, alius denique Lectiones Responsoria & quidquid aliud ex Breviario Romano excerpi potest ad cultum Sancti, de quo Festum celebratur, pertinens summi posse decernit; Id quidem non inficior, verum ad sententiæ, seu opinionis probationem id solum inquirere necesse est, an Sanctis Veteris Testamenti aliquid peculiare ad ipsos spectans ex Breviario Romano liceat assumere. Quum igitur citati scriptores (unico Cavallerio excepto) omnes in unam sententiam conveniant: licere aliquid ex Breviario Romano ad Sanctos veteris Testamenti pertinens accipere, & in ipsorum Officio disponere, nulla difficultas profecto esse potest, quod concesso usu Lectionum, permitti etiam possint Responsoria, & Antiphonæ, dummodo ad ipsum Sanctum unice pertineant, & in Breviario Romano absque mutatione legantur; sicuti nimirum egregie probat citatus Guijetus.

Hæc autem omnia quæ hucusque dicta sunt de Lectionibus aliisque, quæ summi possunt ex Breviario in officiis Sanctorum veteris Testamenti, pari modo aptari possunt ad ipsorum Missas, in quibus apponere æquum est Epistolas & Evangelia, quæ ad ipsos stricte perti-

nent,